



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**M. DC. LXI. Coloniae Munatianaee, 1661**

Gregorius Papa XIII. Ad futuram rei memoriam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62953](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62953)



# GREGORIUS PAPA XIII.

*Ad futuram rei memoriam.*

**C**UM pro munere pastoralis humeris nostris inuncto id præcipuè nobis propositum habeamus, ut omni studio, diligentiaque omnes Christi fideles his præsertim tam gravibus, calamitosisque temporibus in recta, & Catholica fide continere, curemus: ac propterea id in primis nobis agendum, & providendum sit, ut omnem omnibus aberrandi ab ea occasionem subtrahamus. Dudum ob hujus rei executionem, adhibitis nonnullis ex fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, adjuncto etiam aliquorum doctrina & pietate insignium virorum studio, Decretum Gratiani nuncupatum absque glossis, necnon idem Gratiani Decretum cum Decretalibus Gregorii Papæ Noni prædecessoris nostri, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus, non modo cum veteribus glossarum auctoribus, quibus eum viri pii, & Catholici fuerint, ignoscendum videtur, si quid vel ob errorem in illis, vel quia nondum pleraque à sacris Conciliis definita fuerant, liberius locuti sunt: Verum etiam cum his quæ ab impiis scriptoribus tam extra in marginibus, quàm etiam intra aspersa fuerant Catholice veritati contraria revidendi, corrigendi, & expurgandi curam demandavimus. Cum autem ipsum Decretum absque glossis à præfatis, à nobis deputatis jam totum emendatum, & correctum, ac nonnullis annotationibus illustratum existat, ipsiusque major pars à dilecto filio Paulo Constabili, tunc sacri nostri Palatii Apostolici Magistro unà cum dictis Decretalibus felici recordationis Gregorii Noni prædecessoris nostri jam impressis, recognita & approbata sit. Reliquum verò ejusdem Decreti unà cum annotationibus prædictis tam absque glossis, quàm ipsum totum cum glossis, Sextumque & Clementinas simul, & Extravagantes à dilecto filio Sixto Fabri, ejusdem Palatii nostri Apostolici Magistro recognoscenda omnia, & approbanda in officina populi Romani, quæ ad hoc potissimum, ut libri sacri in ea fideliter, & incorruptè imprimantur, erecta fuit, imprimi, & impressa divulgari jussimus, ac ut ad majorem Christi fidelium ubique tam intra quàm extra Italiam, citra, & ultra montes commorantium commoditatem, hoc juris Canonici corpus fideliter, & incorruptè juxta exemplar hinc Roma impressum à



Catholicis Typographis, à Romano populo, sive ab eo deputatis, vel pro tempore deputandis electis imprimi possit. Nos opportunè providere volentes, ut hoc jus Canonicum sic expurgatum ad omnes ubique Christi fideles factum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quicquam addere, vel immutare, aut invertere, nullavè interpretamenta adungere: sed prout in hac nostra Urbe Roma nunc impressum fuit, semper & perpetuò integrum & incorruptum conservetur. Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine omnibus & singulis in nostro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio, nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subjecto commorantibus, vel ad illud quovis prætextu advenientibus, ac etiam extra dictum dominium ubilibet existentibus Typographis, & librorum impressoribus, ac Bibliopoliis, & quibuscunque aliis personis utriusque sexus cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris lætæ sententiæ, & quoad nunc, & pro tempore in dicto nostro, & Romanæ Ecclesiæ dominio mediatè vel immediatè subjecto commorantes, etiam ultra præmissa sub amissione librorum, ac mille ducatorum auri de Camera pro una videlicet officio Inquisitionis hæreticæ pravitatis, & pro alia accusatori, & pro reliqua tertiis partibus Judici executori irremissibiliter applicandorum, aliisque arbitrii nostri pœnis eo ipso si & quoties contra factum fuerit, & per quemlibet contravenientem incurrendis Apostolica autoritate tenore præsentium inhibemus, & interdiciamus, ne ipsius Gratiani Decretum cum annotationibus, & idem cum glossis, Decretalibus Gregorii Noni prædecessoris nostri, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus ut præfertur, de cætero per Decennium à data præsentium sub quovis titulo alibi quàm in Urbe nostra, & in eadem officina impressoria dicti populi Romani, & iis, quibus ab eodem populo Romano, & ab eo ad hoc pro ipso Populo deputatis, tam in Italia, quàm extra Italiam ubilibet factas & licentia per dictum tempus desuper concessa fuerit, prout nos eidem populo Romano, & eidem ab eo deputatis, ut hujusmodi licentiam & facultatem tam in Italia, quàm extra Italiam ubilibet cuicunque, & quibuscunque ipsi populo Romano, seu ejus pro eo Deputatis pro tempore videbitur, & placebit, ac pro tempore eidem populo, & ejus deputatis visum fuerit, significata prius nobis, & approbata persona, concedere, illamque sic concessam prout, & quando sibi placuerit, revocare liberè & licitè valeant, indulgemus, impressum, & imprimendum tenere, vendere, dare, donare, vel aliàs quomodolibet habere, vel transferre, neque etiam ipsi absque expressa etiam in scriptis licentia ejusdem populi Romani, & ab eo Deputatorum dictum Gratiani Decretum cum ipsis annotationibus, & idem cum glossis, Gregorii Noni prædecessoris nostri Decretalibus, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus, ut dictum est, imprimere, nec per dictum decennium ab eis, vel aliis, præterquam à dicto populo Romano, & ab eo Deputatis, vel de eorum licentia, ut præfertur, impressum & imprimendum aliàs habere, seu tenere, aut etiam vendere, vel donare, seu imprimi, teneri, vendi, donari, aut aliàs transferri facere per se, vel alium, seu alios, publicè vel occultè, directè seu indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio audeant, seu præsumant: ita quòd etiam nulli omninò hominum tam in urbe, & tota Italia, quàm extra ubivis Terrarum, Regnorum, Regionum, & Provinciarum totius orbis liceat hujusmodi libris dicti juris Canonici sic, ut præfertur, de mandato nostro recognitis, correctis, expurgatis quicquam addere, detrahere, vel immutare, aut

invertere.



invertere, nullave interpretamenta adungere, sed prout opus hujusmodi Romae nunc impressum fuit, semper & perpetuo integrum & incorruptum conservetur, statimque sancimus, & ordinamus: mandantes universis & singulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ceterisque locorum ordinariis, & eorum Vicariis in spiritualibus, & temporalibus, & in statu temporali sanctae Romanae Ecclesiae etiam Legatis, Vicelegatis, Sedis Apostolicae, ac ipsius status Gubernatoribus, Potestatibus, & Locumtenentibus, ut quoties pro parte dicti populi Romani, & ab eo Deputatorum, seu licentiam & facultatem ab ipsis, ut praefertur, pro tempore habentium, fuerint requisiti, vel eorum aliquis fuerit requisitus, eisdem populo, & Deputatis, ac ab ipsis licentiam & facultatem habentibus, efficacis defensionis praesidio assistentes praemissa ad omnem populi Romani & ab eo Deputatorum praedictorum licentiam seu facultatem habentibus, requisitionem contra inobedientes & rebelles etiam per censuras Ecclesiasticas, etiam sapius aggravan. & per alia juris remedia auctoritate Apostolica exequantur: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Et insuper quia difficile admodum esset praesentes literas ad qualibet loca deferri: Volumus, & eadem Apostolica auctoritate decernimus, illarum transumptis, & exemplis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo Curiae, vel personae in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, & etiam in ipsis operibus impressis plenam & eandem prorsus fidem ubique tam in iudicio, quam extra iudicium haberi, quae praesentibus haberetur: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcunque locorum, Gymnasiorum, & Universitatum, etiam studiorum generalium juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam illis, & illorum, ac quibusvis aliis personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis & approbatis, ac in posterum concedendis, & approbandis. Quibus omnibus etiam si de illis specialis mentio habenda esset, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdicti, suspensio, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facient plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die prima Julii, M. D. LXXX.

Pontificatus nostri anno nono.

Ca. Glorierius.

